John Carter Brown
Library
Brown University

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

τῷ θεῷ δόξα.
VIVAT
REX
CARO
LVS.
Det tibi dñs auxilium de ſancto

## Hermanni Nuenarij Comitis Inclyti epigramma, in defectionem solis, & electionem Caroli regis Romanorũ.

Delituit nuper cœli sub uertice Phœbus,
Occuluitq; suum Dælius ipse iubar.
Emersit subito diuinum Cæsaris astrum,
Cunq; nouo rediit Cæsare Phœbus ouans.
Ergo hoc iam constat, quo pacto regnet uterq;,
Phœbus apud superos, Cæsar in orbe regit.

¶ Eiusdem epigramma in Cæsarem & Atlantem.

Magnus Atlas humeris gestare putat olympum,
Quamuis Herculea sit releuatus ope.
Magnus item Cæsar terrarum sustinet orbem
Solus, & ex alto pectore cuncta gerit.
Fortior est igitur robusto Cæsar Atlante,
Ille capit socium, rennuit iste parem.

¶ Eiusdem ad Carolum regem Romanorũ distichon.

Dent superi sanum te uincere Nestoris annos
Carole, iam nequeunt hi dare plura tibi.

# SEQVVNTVR

ORATIONES TREIS, QVARVM prima a legatis regis Gallorꝝ, ꝓ fauore suo regi, Impetator designaretur, cōciliādo, ad principes electores Franckefurdiam est missa. Altera ꝓ Generosum Comitem Hermannū Nuenarium, pro inuictissimo Carolo Ro. iam rege electo in Franckefurdien. comitijs extempore edita. Tertia exhortatoria ad eundem, auctore doctissimo uiro. LL. doctore Iacobo Sobio, Nobilibus apud Franckefurdiam iubentibus.

REVEREN
DISSIMI ILLVSTRISSIMI que domini ac potentissimi principes, sacri Romani Imperij oculatissimi, ac sapiētissimi electores, post summissam humilemq; commendationem ac Salutem, Ioannes Dalbret Drocorum Comes, dominus aureæ uallis, Guilhelmus genfier, dominus de Bonepet aurati, Equites Christianissimi Francorum regis ordinis, & Carolus guillart, præses senatus Parysien. ipsius Christianissimi Regis Oratores, ab eodem prouinciam expressumq; mandatum superioribus diebus acceperunt, commonefaciendarum cum omni reuerentia, ac debita ueneratione Reuerendissimarum, ac Illustrissimarum dominationum uestrarum, earundemq; supplicíter obsecrandarꝝ, atq; obtestandarꝝ, super quibusdam rebus, quæ ad communem Christianæ Reipublicæ utilitatem, honorem, gloriam, ac libertatem sacri Romani Imperij uidentur imprimis

pertinere. Cum itaq; exploratum habeant sibi facultatem suppetere non posse conueniendi Reuerendissimas excellentissimasque dominationes uestras, & ipsdem in publico ac celebri omnium uestrum consessu (quemadmodum & sperauerunt & uehementer optarunt) publica oratione congrediendi. Idcirco rogant, supplicant, obtestantur, ut tam ob reuerentiam, atq; honorem ipsius Christianissimi regis, quam susceptí muneris, ac demandatæ sibi prouinciæ executionem sinere uelitis, immo si opus fuerit iubere in auspicatissimo atq; fœlicissimo uestro conuentu ita perlegí hasce admonitiunculas breui oratione contentas, ut omnibus audire liceat, ac liquide intelligere quæcunque in ipsis comprehenduntur. Eas nimirum præfati orationes ad Reuerendissimas excellentissimas dominationes uestras mittendas esse operepretium duxerunt, & cum omni humilitate, impensaq; uobis debite reuerentia, legendas offerre. Quas si liberali atq; ingenuo uultu, pro insita uobis incredibili, ac prope diuina bonitate atq; facultate admittitis, rem plane feceritis & omnium sententia, iudicioque probandam, & tam grauium tamq; excellentium principum gloriæ & decori imprimis consentaneam. Reuerendissimi excellentissimi principes ac domini Deus optimus maximus uobis, ac secundis rebus uestris benignissime fœlicissimeq; fauere dignet, easdemq; sp tueri. Ex Confluentia quinta Iunij.

Reuerendissimarum excellentissimarumq; ac potentissimarum dominationũ uestrarum obsequẽtissimi atq; humiles obseruatores, Christianissimi Francorum regis Oratores ac Legati.

VAnto maiores nostri consilio, quanta in rebus gerẽdis prouidentia excelluerint, quantam subsequentium longo tractu sæculorum, uacaturæq; posteritatis ratiõem habuerint, uel hoc uno liquidissime uobis compertũ esse reor Reuerendiss. Illustrissimi domini Excellentissimi ac potentissimi principes, q; sublata omni discordiarum seditionumq; occasione, pacatum ac tranquillum, p uiribus suis, Christianæ Reipu. statum relinquere curauerunt. Nunquam sane auspicacius, nunquam fortunatius, nunquam melius, fœliciusue consultum, pspectumq; fuisse Augustissimæ Imperatoriæ maiestatis Culmini animaduertimus, cẽ ubi deligendi creandiq; Romani Regis, ac subinde Imperatoris potestas atque auctoritas, omnium principum Christianor; cõsensu, uobis septem uiris principibus credita est. Nunquam enim cædes immẽsæ, nunquam atrocissimæ strages, orbi uniuerso defuerunt, cẽdiu inter procellas militares, turbinesque bellicos, exercitui licuit Imperatorem designare, qui sæpenumero, quem nuper, ut sibi iucundissimũ atq; gratissimum concordi suffragio delegerat, mox facto impetu irruens, maximo fauore, in acerbissima odia, leuissimis plærunq; ex causis repente commutato, trucidare non uerebatur. Sic Sergius galba, Sic Otto, sic Aulus Vitellius, sic Alexander, sic plæriq; alij R.o. principes atq; Imperatores, partim a suis, partim ab aduersariorum militibus truculentissime cæsi, non sine magno totius Imperij dedecore, atq; iactura occubuerunt. Cum itaque non sit consilium in uulgo, non ratio, non discrimen, non diligẽtia, sapientissime cautum fuit superioribus sæculis, ut septem uirorum reato res ad paucos integritate, sapientia,

omni denicꝫ uirtute insignes deuolueretur, qui meritis ac uirtutibus, iustissimo ac rectissimo prudentiæ suæ examine, accuratissime circumspectissimecꝫ appensis, & pace, & bello, idoneum ex omnibus principem designarent. Vos inquam septem principes, qui ueluti septẽ triones in cœlo, reliquas splendore atq; ordine stellas antecedũt, ita uos in terris auctoritate, potentia, uiribus, consilio, generositate, sapientia, nõ modo Germaniæ, sed aliarꝫ quocꝫ gentium ꝓceribus, ac principibus prælucetis. Nec in hoc munere designandi Imperatoris uobis propediem obeundo, ex animorꝫ uestrorꝫ candore, ac generositate, uos quicquam admissuros plane intueor, quo maxima de uobis apud omnes populos, ac cæteros orbis terrarum principes, integritas æstimatiocꝫ minuatur. Grandem sane prouinciam, ac prope uiribus imparem mihi suscepisse uideor, qui in tantum consessum magnis de rebus uerba facturus prodij. Cæterum quia ueritatis oratio soluta esse debet ac libera, perpauca de huiusmodi rebus eloquar, quæ nec a ueritate abhorrere, nec forsitan iniucunda uobis fore perspexero. Non solum Reuerendissimi domini Illustrissimi Excellentissimi principes, Christianitas, quæ Europæ sinu ambitucꝫ claditur, sed Aphrica & Asia tota, uniuersuscꝫ terrarꝫ orbis, ac penitissimæ illius nationes, gentes, populi, in uos conuersi, tanquam in sublimi quadam arce atque specula constitutos, intentis oculis, arrectiscꝫ auribus adstãt, circumlustrantes ac explorantes, cui tantam rerꝫ molem, cui totius orbis habenas sitis crediturí, quem tantæ dignitati, tantisque administrationibus prefecturi. Tantopereꝫ de uestra omnes integritate, uirtute, constantia singulari confidunt, ut illum haud dubie uos augurentur Romanum Regem designaturos, qui inter idoneos sit maxime idoneus, quicꝫ uirtute ac fortuna cæteros omnes antecellat. Quæ sane duo, ad res splendide fortiterꝫ gerendas, non tam commoda, quam necessaria esse uidentur. Virtus suis ipsa ui-

uiribus contenta, ex se quidem sola q̄plurimum, fortuna sine uirtute imbecilla, parū admodum ac propemodum nihil potest. Altera uero alterius ope sic adiuuat, ut coniunctæ, arduissima quæq; non modo aggredi, sed & facile perficere queant. Porro si recti animi, syncerique iudicij perpendiculo rem ipsam demetimur, etiam rationis, non affectionis examine stateraq; uti uolumus, nemo tam socors, tamque a communi (ut aiunt) sensu alienus, qui nō plane uideat Christianissimum Regem Franciscum, cæteris tam fortuna, q̄ uirtute eximia præstare, nullumque esse penitus, qui tam expedite, tam efficaciter, q̄ ipse possit, uel nutabundum ac ruinæ proximum Imperium suis uiribus fulcire, uel socordia incuriaq; maiorū iam lapsum erigere, uel ipsius maiestatem sublimitatemq; depressam, in pristinam auctoritatem gloriamq; restituere. De cuius regis fortuna, uiribus, potentia, quid nunc attinet dicere? quum uos ipsi satis superq; exploratum habeatis, quantas militum copias, quantos exercitus, suis ipse sumptibus alere consueuerit, uestire, armare, ac plærunq; socios uiribus hostium lacessitos, armis, uiris, equis, cō meatibus iuuare, eisdemq; q̄ celerrime opitulari. Iam uero uirtuti ipsius quæ potest facundia, quæ oratio, par inueniri? Quomodo hac obsecro tempestate inter principes orbis terrarum reperias, qui sit ætate, uiribus, ingenio, potentia, opibus, strennuitate, diligentia, cum eo conferendus? Aut in quo tot eximiæ dotes, atque ornamenta Imperatoriæ dignitati excellentiæq; consentanea inueniantur? Nullas profecto res ei deesse constat, quas ille Oratorū princeps Tullius optimo cuiq; Imperatori necessarias esse profitetur, Scientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, fœlicitatem. Quanta enim est illius in tolerandis sudoribus, algoribusq; tam diurnis q̄ nocturnis patientia? Quanta in aggrediendis periculis, quanq; intrepida uirtus? Huius nimirum fortitudinem, robur, potentiam, ferocientes Heluetij, ab hinc paulo plus triennium

apud Insubres, collatis, ex improuiso signis, nõ tã cognoscere, q̃ admirati sunt. Qui incautum adoriri, & cum exercitu per insidias opprimere studentes, ab eodem paucis admodũ captis ac diffugientibus, magna ui atq; incredibili uirtute oppressi fuere. Nec tamẽ in stragis reliquias (qd̃ perfacile poterat) deseq̃re, grassariq; perrexit. Sed ea hũanitate atq; clemẽtia usus est, ut difficile dictu sit, utr̃ hostes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an mã suetudinem uicti dilexerint. Nec facile discernas, belli an pacis artibus melior. Quis est enim mortalium uel in compensandis præmiandisq; militum laboribus, amicorumq; obsequijs, munificẽtior ac largior? Quis in concilianda externorum principum beneuolentia fœlicior? in eaq; retinẽda constantior, magisq; perseuerans? Perpauci admodum principes sunt, qui cum eo uel iamdudum amicitiam non inierint, uel inire cupidissime non expetierint. Neminem plane uestrum ignorare arbitror, quanto ipsum honore, quanta magnificentia Leo .P. M. annis superioribus in Bononiam, alterni colloquij gratia admiserit, quantis muneribus, obsequijs, gratificationibus, cũ eodem tunc Veneti certauerint. Cui sese suaq; ita deuouerunt, ut nihil sit tam arduum, tamq; difficile, quod non eius causa parati sint aggredi, atque efficere. Qua demum fati benignitate, qua fœlicitate factum fuisse putatis, ut rex Anglus, superiore autumno, ex hoste pnicios̃issimo, socius officios̃issimus, ex inimico infestissimo, suauissimus amicus, hoc animo, hac lege effectus sit, ut patriam, opes, liberos, salutem denique propriam, regijs obsequijs perpetuo addixerit? Singulis singula horr̃ suppetere & partim adesse uideas, in hoc uno affatim cumulateq; cuncta coire manifestissime iudices. Quisnã igitur dubitare posset, huiusmodi principem maxime, ac præter cæteros idoneum ad suscipienda Imperatoriæ dignitatis moderamina, quæ tametsi non poscceret, quin potius respueret ac refugeret oblata, ob tam præclaras tamẽ

eius dotes ad ea suscipienda, plærisq; aliis eadem sibi committi efflagitantibus, a uobis Reuerendissimi Excellentissimi principes exhortandus compellandusq; ueniret, ac demum reluctans, obnitensque ad Imperatorium fastigium protrahendus. Ad quod efficiendū & quamocyssime præstandum, si non sua ipsius uaria uos, multiplexq; uirtus alicit ac permouet, inuitet saltem. Tum uero id faciendum esse uobis persuadent grauissima discrimina, religioni Christianæ impendentia, quibus (nisi mature accurritur) omnia protinus pessum itura sunt. Animaduertite quæso pensiculatius, & ante oculos uestros paulo accuratius proponite uelocissimam, truculentissimamque Turcarum rabiem atque insaniam, qui non contenti Asiam quammaximam, eandemque & florentissimam, & opulentissimam orbis terrarum partem nepharijs, atq; spurcissimis legibus suis iampridem subdidisse. nihil hactenus a se actum arbitrantur, nisi Europam (cuius iam superioribus annis bonam partem occuparunt) & totius Christianismi regna, prouincias, agros, ciuitates, oppida, non modo spoliare ac diuexare, sed etiam ferro ac flammis passim uastare, fœdissimeque depopulari pergant. Et quod est longe omnium miserrimum atq; calamitosissimum, Christianam religionem funditus euertere, suinamq; ac Belluinam introducere moliuntur. Quis a uera religione? quis a pietate & diuino cultu tam auersus? quis tã clemẽtiæ? quis tam humanitatis expers? cui cum hæc tam atrocia in mentem uenerint, non solum non commoueatur animo, sed etiam non toto corpore perhorrescat. Non est opus rei atrocitatem, quam fœdissime in plæraq; Christianorum oppida atq; urbes, effrænata Mahumetum licentia, insanaq; cupiditas exercet, pluribus explicare, aut oculis uestris subijcere, cum uos ipsi & a summo nonnunquam Pontifice, & a plærisq; aliis frequenter super his fueritis commonefacti. Quibus sane periculis quis uel celerius ob-

uiam ire, uel tãto furoris incursus potentius, efficatiusue, quam rex ipse Francus repellere coercereq; potest? Nemo Reuerendissimi amplissimiq; principes in mediis fluctibus, atq; procellis (nisi mentis inops) iam imminente naufragij periculo, gubernatorem nauigationis ignarum eligendum, & gubernandæ nauí præficiendum censet. Nemo quum pleno Marte dimicandum est, & iam instructa acie congrediendum, quempiam scientiæ militaris imperitum (ni modo desipiat) in ducem exercitus optandum, assumendumue arbitratur. Viderunt cæteri quid in quaq; re diligenter cogitandum faciendumq; sit. Ego (sic me Deus iuuet) nunq; mihi persuadere potui, ut uos magna prudentia, magno consilio, maxima experientia princeps quandoq; summam rerum cogitaueritis eius manibus uenire tradendam, quí non fortunæ ac naturæ cõmodis, atq; animi dotibus oẽs antecellens, optimi semper Imperatoris munia fœlicissime præstare possit. Nec uobis præterea Reuerendissimi Illustrissimi principes cæterisque Germaniæ proceribus nouum, atque cuiquam inauditum esse debet, aliquot olim reges Francos nõ minore populi Germanici, quam sua ipsorum & fœlicitate, & gloria administrando sacro Imperio præfuisse, quí Germaniam templis, cœnobijs, & tam publicis, quam priuatis ædificijs decorare, uarijsq; ac pretiosis muneribus locupletare studuerunt. Quæ cum uulgo protrita sint, ac prope omnibus peruia, ea consulto præterire uolui, ne illorum inculcatione molestiam uobis afferre uiderer. Hoc unum tamen nequaquam præterierim, Franciscum regem, si Dei optimi maximi, ac uestro munere Imperij dignitatem adipiscitur, a maiorum suorum præstantia uirtuteq; minime degeneraturum. Quí non modo illam æmulari, uerumetiam (si qua fata sinunt) uincere contendet, dabitq; enixissime operam, ut neq; in eo (superis adiuuantibus) Augusti fœlicitas, neq; Titi humanitas, neq; bonitas Neruæ, Troiani probitas atq; iu-

stitia, Constantini religio, Theodosij pietas, Caroli cognomento magni rerum fortiter magnificeq; gestarum gloria, incredibilisq; liberalitas atq; magnificētia ab aliq; desyderet. Non utiq; ignorat mores, naturāq; Germanici populi, qui est libertatis suæ appetentissimus, eiusq; tuendæ ac retinēdæ studiosissimus atq; acerrimus uindex. Tā profecto aberit ut eam minuat, profliget, eripiat, ut uel eandem sp augere amplioremq; reddere conetur. Eocirca non solum Germanicæ libertatis assertor erit ac propagator, uerꝝ etiam subditos omneis regia semper benignitate fouebit, & paterna quadā indulgentia ita complectetur, ut omnes aliquando Germani fœlicissimum illum sibi diem iudicent illuxisse, quo non tam humanis suffragijs, q̄ diuina quadam sorte tantum Imperatorem, ac patrem patriæ nacti fuerint. Necsane quicquā est, quod Germani Francorꝝ amicitiam, coniunctionemq; uel respuere debeant, uel auersari, qui & natura, & consuetudine, & disciplina sunt omniū mortalium leniſſimi atq; mitissimi, qui se quoq; Germanis & hospitalissimos semper exhibuerunt, & amicissimos, si quando negotiationis, uel commertij causa peregrinantes ad illos diuerterunt. Quineti-am Germanorꝝ, Francorꝝq; unam olim fuisse Rempublicam, alterosq; ab alteris mutuam traxisse originem, & antiquitates uestræ testantur, & nomina quondam uestris urbibus indita, quæ in hodiernum usq; diem supersunt, manifestissime indicāt. Hinc Frāconia antiquissima florētissimaq; pria. Hinc Frāckofordia de Frācorꝝ noie appellata, celeberrimū totius Germaniæ emporiū, oppidūq; & nobilissimū & augustissimū. Multoq; iā & nobilius, & augustius ex tātorꝝ principū, & pceꝝ gliosissimo fœlicissimoq; cōuētu, designandi eligendiq; Romani regis gra facto, Proinde Reuerendissimi amplissimiq; dni Illustrissimi ac potētissimi principes, si hūanis rebus, si cōi oim saluti consultū eē uultis, si imminētia Chrianæ pietati discrimia penitus amoliri, si honorē uestrū, decus,

amplitudinem, famam, gloriam, tueri, conseruare cumulareq; expetitis, et in posteritatem transmittere. Si Imperij fines, atq; ditionem propagari, si optimo cuiq; morem gerere, atq; gratificari percupitis, quod auspicatum, beatum, bonũ, faustũ, fœlixq; sit & uobis, & uniuersæ Reip. Christianæ, Christianiss. regem Franciscum, regem Romanum designate, consalutandumq; Imperatorem communi suffragio decernite. Vestra porro laus, neq; tenuis, neq; obscura erit. Hoc ciuitates, hoc populi, hoc principes (paucis forsitan exceptis) non loquuntur modo, uerumetiam personant Franciscum regem dignum esse Imperio, & ita dignum, ut nullus eo dignior hac tempestate reperiatur. Nihil utiq; ab eo immaturæ, nihil ppere, nihil aspere formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa Respub. iubeat auguranda sunt. Curabit, enitetur, efficiet ne uobis desint & fortia facta, & saltem uobis atq; Imperatori digna consilia. Bonam partẽ rei geret ex consilio & sententia uestra. Nec eum aliquí immutatura est fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantum possit, ac uult uobis, ac populo Germanico prospiciet, & ueluti præsens ac tutelare quoddam numen, ab omni periculo tueri liberareque conabitur. Sua perficiet opera, uiribus, consilio, diligentia, ut nihil unquam a uobis gestum fuisse auspicatius, glorioſius, fœlicius mox intelligetis, quam eum regem Romanum designasse. Qui omi cura, studio, industria elaboraturus est, ut tutam omi ex parte, ac tranquillam fortunam cum populis atq; ciuitatibus uestris fœliciſſime trahatis. Vt uestram deniq;, ac uestrorum salutem suo ipsius ac proprij capitis discrimine liberam ab omni assultu pernicieque hostili prospere & fœliciter tueatur. Nonis Iunij. M. D. XIX.

# ORATIO AD REVERENDISS. ET ILLVSTRIS simos principes electores, edita per generosum Comitem Hermannum Nuenarium in ipsis comitijs regis Romanorꝝ, p Inuictiss. & Christianiss. CaroloRo. rege electo.

SI DE IMPERII MAIESTATE, de gloria, de honore concertantibus, aliena laudatiõe uehemẽter opus esse perspicerem, O Illustriss. atq; potentissimi Germaniæ principes, ac Ro. Imperij electores, profecto omnem meam industriam, omnes ingenij uires ad hoc iamdudum contulissem, ut accumulatis & congestis undiquaq; laudibus, Carolum inuictissimum Hispaniarum regem, a me diligenter uobis commendatum sciretis. Non enim adeo omnem prorsus dicendi rationem a nobis alienam esse putamus, ut, si de Carolo rege dicendum sit, aut defuturas nobis res, aut uerba metuere possimus. Quocirca uos obnixe rogo principes illustriss. ut adulescentiæ nostræ aliquid concedatis, simulq; illud, quidquid est a me commissum apud uos audacius forte q̃ ista ætas, & conditio mea tulerit, id-

ipſum meo ĩ patriam ſummo adfectui, & ſingulari erga Carolum regem, illiuſq; diuinas uirtutes amori condonetis. Quis enim non optimo iure ſuccenſeat, laudari cernens apud uos ſummo cum artificio, ac præferri eos, qui nihil unquam in uos beneficij contulerunt? Illum uero, cuius extant in uos pulcherrima, atq; præclariſſima ſtudia, paſſim contortis, obliquiſq; dictis traduci? Cum hũc potiſſimũ uobis commendari, ac a uobis unice & coli, & obſeruari oportuit. Nam quẽ hoc tempore in tota Aſia, aut Europa regnare creditis, tanto populariũ cõſenſu, tanto complauſu omnium nationum, tãta cum imperij & dignitate, & amplitudine? Aut quem in toto orbe terrarũ regem eſſe exiſtimatis, de q̃ uel materia amplior, uel hiſtoria ad immortalem gloriam excitandam copioſior ſuppetat? quamq; nec æmulus extenuare, nec orator ſua eloquentia magnificare poſſit? Nos autem longe diuerſum ab his ſentimus, qui decorem principis in laudatione conſtituunt. Immo maxime indecorũ reputamus, ſi quis exquiſitis rhetorũ floſculis, ſe id conſequuturũ ſperet, quod non niſi excellentiſſimis uirtutibus, & clariſſimis ingenijs, peruium ſemper patuit. Namque illos maxima laude, ueraq; gloria excellere ducimus, quos non eloquentia rethorũ, non conflata ab oratoribus præconia commendarunt, uerum quos egregia facinora, & eximiæ res geſtæ apud mortales extollunt, atq; illuſtrant. Hæc eſt ueriſſima (ut ille ſummus orator putat) qua ad ſuperos itur uia. Hac priſci illi uiri fortiſſimi certatim contenderunt, atq; in tantum profecerunt, ut illis tum ſæculis immortales honores, diuinosque cultus meruerint. Eſt & altera uia multum etiam ad imperium acquirendum, & retinendum neceſſaria gratia uidelicet, ac fauor Po. Ro. qui in deligendo principe, per ſe ſæpe plurimum ualuit. Ipſe enim uirtutes, & ſi ſolæ ſatis munitum ad petendum principatum iter oſtendant, tamen ſi gratia fulciantur, uix unquam repulſam habituras exiſti

mo. Hæc quoties ipse mecum memoria repeto, non pos-
sum nõ uehementer admiratione duci, ita, ut perbeatum
iudicem Carolum regem, in quo nihil natura neglexe-
rit, quod ad corporis, ac animi fœlicitatem pertineat. In
hoc enim adeo conferta, & cumulata sunt omnia cũ cor-
poris, tum animi bona, ut neq; priorẽ agnoscat, neq; ad-
mittat parem. Quibus de rebus, si ante conspectum ue-
strum plenum & auctoritatis, & grauitatis, ipse uerba fa
cturus essem, pertimescerem sane, ne me in ipso oratio-
nis medio cursu, copia rerum obrueret. Atque ita obrue
ret, ut omnem prorsus recte dicendi modum, confunde-
re necessarium fuerit. Mihi uero animus nunquam fuit
Illustriss. principes, ut Carolum regem (cuius uobis ex-
ploratæ sunt, & compertæ uirtutes) apud uos laudare
uellem. Neq; enim tam sum excors, ut non intelligam
hunc locum, & hæc tempora, aliud longe maius, ac di-
gnius quiddam expostulare, id quod a principio & di-
xi, atque professus sum. Ac etiam nunc libere & inge-
nue fateor, non licere cuiquam habere comitiorum eius-
modi rationem, ut in laudatione cuiusquam uersari pa-
trum uoluntates, ac sententiam Senatus ab oratoris de-
liberatione pendere credat, quasi non magis ad fortia fa-
cta, quam egregia, & bona uerba spectare oporteat.
Vnde postquam uestrum istud amplissimum, ac illu-
strissimum collegium, septenaria perfectione absolu-
tum, diuina prouidentia, ad futuri Romani Regis ha-
benda comitia, Franckefurdium conuocatum est, ut
uniuerso orbi Christiano, suo capite iamdudum orba-
to, ueluti quendam solem terris, adsignare debeat prin-
cipem, profecto non est, ut dubitare quispiam possit,
quin uobis abunde omnia superfluant, quæ ad abso-
lutissimam sapientiam, animorum constantiam, æqui-
tatemque requiruntur. Ita, ut nullo monitore, quan-
tumuis etiam ingenij, aut eloquentiæ facultate præ-
stanti, sed sola uestra prudentia freti, eum sitis Regem

Ro. uestris suffragijs declaraturi, quē ad id muneris obeundum, sufficere cognoueritis. Nec ego sum usq; adeo perfrictæ frontis, aut proculcati pudoris, ut præscribere uobis, quem uos eligere debeatis, temere præsumam, aut quenq; ita uobis proponere audeam, ut in eo delígendo, non multo plus uestris acerrimis iudicijs, q̄ meæ opinioni concedendum putem, Tametsi multis sane argumentis, haud obscure probare possum, Carolum Regem, omnibus, qui in hunc usq; diem a uobis imperium petierūt, non modo uenire præferendum, uerumetiam competitorum a uobis nullam omnino rationem esse habendam. Quidquid enim isti sibi utcunq; usurpant, hoc ille summa cum æquitate possidet. Et ut paucis multa concludam. Solus hic, omnium ante se regum fœlicitatem ex æquo superare uidetur. Non modo quæ ei a natura insunt, uel ex industria, & exercitatione prouenerunt, uerum etiam hæ quoq; res, quæ tantum ex arbitrio fortunæ, ut uulgus putat, seu fatorū, ut philosophi opinant̄, dependent, hæc omnia tam peculiaria habet, ut non ei collata, sed cum eo nata fuisse uideant̄. Cum hoc si optimos quosq; conferre libet, comperietis magnam obscuritatem clarissimos alioqui uiros, huius splendore obiecto, contracturos. Cedat opibus & diuitijs Chrœsus, Cedat prudentia Philippus, Alexander prosperitate, potentia Xerxes, magnanimitate Leonidas, liberalitate Agesilaus, gratia Alcibiades. Ea propter neminem existimo fore, qui huius augustissimi imperij molem, tam facile extollere, collapsum uero, ac iam fœdari cœptum, tam potenter restaurare, in angulos Germaniæ coarctatum, tam longe lateq; propagare possit. Quis enim nesciat quantas militum copias, tam pacis, q̄ belli temporibus paratas semper habere consueuerit? Quantam etiam, & q̄ numerosam classem, tum in Mediterraneo mari, tū in occidentali Oceano constituerit? quibus nō magis sua ac sociorū regna, q̄ totam ipsam Christianam Rempub. ab

incursu barbarorꝝ & hostium, strenuissime tutatur. Atq; hoc solo nomine uel maxime commendandus, quod publicam salutem, suo periculo semper anteponendam duxerit. Qua in re quanta modestia ac temperantia semper usus sit, ex hoc consyderare potestis, quod in tanto sumptu circa curam præsidiorꝝ, & copiarꝝ, nemini incolarum importune molestus est. Neq; ita agit, ut illi, qui paganorꝝ, ac uillanorꝝ suorꝝ sudoribus, & sanguine, militū rapacitatē, libidinē, ingluuiemq; q̄tannis explent, & heu dictu miserabile, plus ipsi calamitatis, & nocumenti suis subditis inferunt, cū uel infensissimi hostes excogitare, nedum inferre, possent. Sed noster hic, sine suorꝝ iactura, sine priuatorꝝ magno incōmodo, e regijs uectigalibus stipendia militibus copiose suppeditat. Satis locupletem sese existimans, si sui penuria, & calamitate non opprimantur, satis fœlicem, si suos ab infœliciſſima tyrānide defendat. Nolo ego hoc loco recensere egregiam illam corporis habitudinem, ac illa pulcherrima naturæ lineamenta, quæ hunc plane coarguunt uere Germanicum illum splendorem referre. Nolo inquam recensere illa tam uulgata, & ferme protrita, ne uestris auribus plus iusto molestus fiam, ea inculcans atq; in medium proferens, quæ etiam gladiatoribus, & athletis communia sunt. Tamen hoc unū breuiter admonere operæpretium esse duxi, hanc scilicet ætatem, & has uires, quæ huic natura largita est, tolerādis sudoribus, algoribus, uigilijs, alijsq; incommodis accommodatissimam esse. Partim etiam ut uos commonerem impudentissimi cuiusdā hominis, nuper gallica legatione functi, ad Eburonum ciuitatem prouinciamq;, qui, siue ex mandato ita dixerit, siue gallicam leuitatem, impudentiamq; coercere nō potuerit, in huius nostri Illustriss. & Inuictiss. regis contumeliam, nihil aliud cum adferre potuisset homo sceleratus, ausus est satis contumeliose regulum appellare, statura forte pusillum sugillans, quasi uel id uitium cen-

seri possit, si uere obijciatur, aut mox pusillus sit, qui non æquauerit corpore cyclopem. Sed facessat temerarius homo cum sua gallica leuitate, nos sat magnum cum iudicamus, quem maximi quiq; maiorem sese fateri coguntur, & si idipsum forte inuitissimi faciant. Non debet etiam uos commouere, q̄ toties per cuniculos oppugnatur Carolus rex, quasi qui nondum fortunæ uices expertus sit. Illi enim constanter adfirmant, imperium decernẽdum non fore ei, qui belli discrimina, & euentus iniquissimos, dubiosq; lubricę sortis nondum subierit. Ad quod cum dici permulta & grauiter, & ornate possint, ego paucis agere malo, propterea, q̄ eiusmodi sit ista causa, ut nequaq̃ indigeat accurata defensione. Quippe, quando eandem possumus lõge fortius retorquere in eum, cuius gratia ista dicuntur. At nos aliena oppugnare non decreuimus, uerũ nostra defendere. Idq; tam licere cuiuis opinamur, ut nemo ob id lęsum se iure queri possit. Belli ergo fortunam qui sæpius experti sunt, eos ad Remp. administrandam aptos esse adfirmabimus? Absit hoc illustriss. principes. Qui ẽm tum aptiores censendi forent, q̃ uulgus istud perditissimorũ hoim, quos Germania ad publicam calamitatem heu nimis diu aluit. Nã hoc & calonibus atq; lixis, ac etiam, pstitutis illis mulieribus, quę castra sequunt̃, ppe peculiare est, ita ut assidue a fortuna uersentur. Modo uictores, modo uicti circumambulent. Iã triumphãtes, mox in triumphum ducti. Aliqñ direptis opibus, exustis ciuitatibus, occisis, aut despoliatis habitatoribus opulentissimi, mox ꝓfligatis prioribus fortunis infoelicissimi, ac oĩm maxime miserrimi. Hęc iccirco dicere uolui, ut sciatis, huius causæ caput, longe nimis imbecillum esse, ut etiam si aduersarius uerũ diceret, ꝓpterea ab imperio secludi is debeat, in quẽ illud sophisma torquet̃. Quis enim unq̃ Alexandro magno in rebus gerendis fortunatior? Quis P. Scipione Africano & fortior, & melior? Quis Octauiano felicior, aut potentior? At hi oẽs pueri

prope ad imperium admissi sunt, ita, ut nullis antea bellis ꝓpter ætatem interesse potuerint. Cum imperio em̃ exercitant̃ imperatores, non secus q̃ nos cum nostris studijs. Quang̃ omnino credere non debetis militaris disciplinæ expertem esse eum regem, cũ quo, quicunq; sunt in orbe Christiano egregij, ac famosi bellatores, familiarissime cõuersant̃. Hijs artibus a puero imbutus est, ad eas perdiscẽdas non tam sponte accessit, q̃ ui quadam naturæ pertractus fuit. Hæc auita sunt insignia, quæ hereditaria quadã successione, in hunc propagata fuerunt. Ita, ut audaciam, & robur, ex ipsis maternis uberibus suxisse uideatur. Solent huiusmodi confugia quærere oratores pplexi, dum non habent uel quod aduersario obijciant, uel quod pro se dicant. Quemadmodum si quis cum sanitatem reprehendere non possit, laudaret febrem quartanam. Ita qui paci inuident, belli gloriã extollunt. Quibus nos respondebimus, duo esse bellorꝝ genera. Quoddam enim sola imperatorꝝ libidine, ac petulantia quadam ferocientium animorꝝ leuibus ex causis concitari, ac sæpe cum maximo discrimine Reipub. in fortunæ arbitrio dubium, & anceps uersari. Alterꝝ uero pro patriæ tuitione, pro liberis, pro fortunis, necessario geri oportere. Idq; tale esse, ut siue bene, siue male cedat, ipso nihilominus duci gloriã semper, ac laudem conferat. Ad hæc perpaucos comperiri, qui in bellis gerendis, non multo magis suis affectionibus ducantur, & obtemperent, quàm publicæ utilitati consulant, Vtpote qui pro nihilo pendant iustitiam pietatem, cæteraseq; uirtutes. Verꝝ, contemptis religionibus, ac iure gentium spreto, aliena quidem per maximas iniurias deuastando, contra socios ac uicinos crudelissime grassando, se bellica uirtute, ac militari disciplina, cæteris mortalibus præpollere gloriantur. Sed nos omni præconio efferendos, omniq; laude prosequendos arbitramur, qui sic regnum instituerunt, ut malint suos fines tueri, quam aliena diripere, pacem fouere, quàm excitare

bella, optare potius opulentam patriam ut habeant suis terminis coarctatam, & expilatam ac miseram, etiam si usq; ad Indos protendatur. Quid autem refert, si bella omnino facessant, dummodo patria prudenter, & ordinate gubernetur. Immo omnibus uotis exoptare principem debemus, cuius consilio, & auctoritate, bellica rabies, in pacis lenitatem, & mansuetudinem uertatur. Hoc sancta ecclesia quotidie pijs precibus efflagitat. Hoc euãgelia Christi, quæ fidei nostræ indissolubile fundamentum existunt, toties nobis inculcant. Memineritis sanctum regem Dauid ad extruendum deo templum, indignum fuisse reputatum, eo q; uir sanguinum esset, Mosen proinde legis diuinæ promulgatorem, a promissionis patria deo iubente seclusum, regem uero nostrum Christum, quem Iehosue nobis designabat, in ciuitatem sanctam uenisse pacificum. Quapropt̃ de Christianor̃ cæde non debet gloriari Christianus princeps. Inanis est enim gloria, quæ in Reipub. perniciem uertitur. Omnes quippe unius ciuitatis municipes sumus, præsidem habentes Opt. Max. deum. In hac qui seditiosi deprehenduntur, expedit Reip. ut a regimine præcipites deturbentur, ne labefactetur status immaculatæ, & incorruptæ matris ecclesiæ, Videte Ethnicum illum M. Catonem, quanta grauitate ciuilem discordiam exceratus fuerit, Fuisse enim traditur uir ille summæ integritatis, & egregium Ro. probitatis exemplar. Is post illam mẽorabilem cladem Po. Ro. in pharsalia confectam, cũ interfector̃ ciuium cadauera circumlustrasset, manibus obtexisse oculos fertur, ne Reipub. calamitatem diutius contuerentur. Nemo certe tam est mentis, aut rationis expers, qui non longe præferat sanguinolentis bellor̃ tumultibus, florentissima tempora pacis, Cum in istis omnia & diuina, & humana, optime ac tranquillissime regantur, in illis autem, interrumpantur non modo hominum uoluptates, uer̃ etiam deor̃ immortalium cul-

tus, relligionesq; pessum eant, ac turpissime polluantur. Et si diligenter introspicitis, reperietis hic multum relinqui solidæ & non fucatæ laudis, illic uero mendacijs oĩa fere obnoxia circumferri. Quis enim iactabundo, ac gloriæ iam spe inflato, de sua utcunq; sese uictoria extollenti, credat? Quis non uel pro media parte confictum putet, egregium illud bellicum poema, ubi omnia ad laudẽ uictoris cantantur? quodq; (si rem aliunde perconteris) obscuræ subito fieri uideas, ac tale, ut iam huiusmodi schematis pudere te uehementer possit. Constat ergo belli imperitiam nemini merito imputandam, qui sua dexteritate, atq; prudentia, sic disposuit regni statum, ut ei bellum inferre non ausit quispiam, nisi fuerit ille extremæ dementia, aut ingẽti temeritate correptus. Quod si quis omnino quietis impatiens, ac belli plus iusto adpetens, inuitum ac reluctantem temere armis lacessierit, in hunc demũ, ac turbatorẽ publicæ commoditatis, omnes neruos, omnemq; potentiam expendat, ut tandem optimi imperatoris officium, non segniter exercuisse comperiatur. Iam dicendum uidetur de his rebus, quæ ad imperij amplitudinem summopere desyderari consueuerunt. Inẽ quas summo fere loco constitui solet, mutuus adfectus, atq; beneuolentia, non solum principis erga Rempub. uerum etiam erga uicinas gentes, sociosq;, & necessarios. Qua in re si adhuc aliquid est quod a Carolo rege exigendum, aut etiam extorquendum putetis, idipsum spõte sua iubens ipse uobis præstabit. Nam cum tam sit præclara, ac uere regia indole preditus, ut etiam hostibus suis ultro parcere, nedum charissimis, ac amicissimis bene facere glorioſum esse iudicet, qua occasione induci illũ, aut certe permoueri posse existimatis, ut charissimam patriam suam, non prosequatur maxima cũ pietate, & summa gratitudine. Neq; uestrum esse quenq; credo, qui nesciat qua religione, quibus officijs, qua necessitudine, potentissimi prope omnes Europæ reges, cum illo pacta sit

mauerint, Societatē inierint, affinitatemq; contraxerint, Angliæ uidelicet, Vngariæ, Poloniæ, Daciæ, ac Portugalliæ. Ferox insuper bellicosaque Heluetiorum gens, ac populosa Sueuorum coniuratio, nec non Eburonum præpotens ille, ac inter prudentissimos merito connumerandus princeps Erhardus, una cum tota Marcensium familia. Omnes profecto Carolum regem sanctissime colunt, nec est quisquam sociorum, aut necessariorum, qui non præstitæ fidei reum illum facere ausit. Iusiurandum nullis conditionibus ut uiolaret impelli unq; potuit, fidem etiam hostibus constantissime semper seruauit. Culpam autem quam in alijs damnare sæpius potuerat, ipse nunquam admisit, honorem suum integrum, & illæsum seruare malens, quam alienam perfidiam, uel uindicando detegere, uel compensando adequare. Quo uero clarius dilucidiusque ipsius Caroli regis erga sacrum hoc imperium, fidem perspicere, & diiudicare possitis, consyderate quæso, ac animo diligenter perpendite, an aliquando aut palam, aut clanculo aduersus imperij maiestatem machinatus sit, an pecunijs, fauore, potentia, contumaces fouerit, rebelles susceperit, diffidentes rebus suis imperij hostes ingentibus spebus erexerit. Quam demum ob causam contemnere illum Venetorum amicitiam creditis, nisi quia perpetuos hostes Ro. imperij, uestræq; nationi infensissimos esse cognouit? Quo circa si penes me horum comitiorum summa staret, fidem meam ac honorem mæ hercle grauiter acerrimeq; læsum putarem, si contra meam conscientiam, contra publicam omnium expectationem, alium quenquam isti præferendum statuerem. Vos ipsi illustrissimi principes, iamdudum conspexistis, q̄ sancte, q̄ syncere, quā pure ad imperium aspiret. Non ambitione rapitur, neq; tumet arrogantia. Non popularis auræ tempestatibus iactatur. Sed id tantum a uobis officiosissime petit, quod sui parentes sanctissime possederunt, quodq;

si ipse non peteret, uos illi sponte fueritis oblaturi, cum eis rebus habundare illum cerneretis, quæ uos a rege Romanorꝫ expetenda iudicatis. Prudentissime quidem a maioribus nostris constitutum est, ut ambitus e Repu. tolleretur, ne his qui boni in ciuitate uersantur, cum perditis nonnunqꝫ, flagitiosisqꝫ, in competendo communis, ac par esset conditio. At uiris fortibus hac lege nequaqꝫ honoris aditum præcludi uoluerunt, ita, ut coercendos illos censuerint, qui sua uel dexteritate, uel prudẽtia, reipub. periculis, necessitatibusqꝫ cõsulere possent. Istis em̃ qualibet in urbe præmia debent̃ uirtutis. Ad quam incitare, ac etiam inflammare mortalium animos solet insitus ille (nescio quis) gloriæ igniculus, quem uix etiam sapientissimi restinguere potuerunt. Vnde nec uestræ uoluntati Carolus rex reluctabitur, si uestro candidissimo iudicio huic imperium decernendũ duxeritis. Plus nempe uestræ pietati, prudentiæ, liberalitati, ꝫ suæ modestiæ dandum intelliget. Nam si sapientem mutare sententiam quandoqꝫ expedit, minimeqꝫ indecorꝫ habetur, etiam in his, quæ sub controuersia, & disputatione relinquuntur, quanto magis ubi de Reipub. dignitate, de salute omniũ agit̃, ibi pertinacem esse non licebit? Qui em̃ ad id quod ei gratuito affert̃, morosum se præstat, nõ caret certe turpissimo ingratitudinis, aut simulationis crimine. Quare em̃ ut candidatus petit, si sponte oblatum, non alacrit̃ amplectit̃? Hæc iccirco dixi, nequis Carolũ regem ex illorꝫ numero esse credat, qui aliud in fronte, aliud in pectore gerũt. Ille sese aperte imperatoriũ candidatum, pfiteꝫ, eaqꝫ in re uestros calculos, ac uestrum equissimũ iudiciũ expectat. Quid ãt attinet exhortari uos, ut eũ uobis imperatorẽ deligatis, qui a Christianorꝫ ceruicibus, ab aris, ac tẽplis dei opt. max. sine uestro incõmodo, truculentissimos ac nepharios hostes depellere tã facile possit, ꝫ lubẽs uelit? Sciunt oẽs immanitatem, rabiem, ferocitatemqꝫ Turcarꝫ, Obtenta Asia, in Africam moliunt̃ exercitũ, breui

quod eis adhuc in Asia deesse uidebat, ferro, ac flamma subegerunt. Syriam uidelicet omnem, Arabiam denique totam, uniuersamq; Aegyptū, Nolo exaggerare uerbis Turcarū potētiam, quandoquidem hanc ipsam rem accurate satis proximo Augustensi principum conuentu, Legati Ro. pontificis effinxerunt, Quibus si fidem adhibendam censetis, mea industria nihil addi, nihil excogitari potest, quod his tam ornatis, ac magnificis buccinatoribus respondeat. Sed per deum immortalem o illustriss. princ nolite credere quenq; mortalium timeri hoc tempore a Turcis, nisi Carolum regem. Nolite opinari præter hunc superesse quenquam, qui huius tam periculosi, & ancipitis belli pondus sustinere queat. Hunc missis epistolis, de pace atq; inducijs sollicitant. Hunc totius Europæ potentissimum esse palam fatentur. Huius iam uires in Africa magna suorū clade experti sunt. Huius classem in mediterraneo mari obuiam semper habēt. Cum hoc sibi rem esse conficiendam uident. Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Calabriam, Apuliamq; ex Epyro, ac tota proinde Græcia procul despiciunt, suoq; furori obiectas esse uehementissime dolent. Peruijs autem Pannonijs, quantum itineris spatium interiacere putatis, si ex Mæsia aut Macedonia in Germaniam Thurca expeditionem paret? Vere ibi quoq; Croaciam, Austriam, Charintiamq;, uelut quendam Germaniæ clypeum obtrudi sibi conspicit. Nemo igit̄ persuadeat uobis o princi. illust. quenq; mortalium esse, qui maiore desyderio ad hoc bellum teneatur, aut qui idipsum pro sua gloria, & fidei honore, celerius ad rectum finem perducere possit. Si sunt qui de se magnifica pollicentur, & fidem suam ingentibus promissis onerant, cum nihil adhuc admiratione dignum nauauerint, hi (ut fieri solet) tranquillo flumine nauim ducentes, bonos ac peritos se naucleros putant. Quantoq; absunt remotius ab hostium conspectu, tanto audaciores apparere gestiunt. Qui uero manum

admouerit, illum obseruare uos oportet. Hic ille est Carolus rex, quem iam sæpius honoris causa nominandum putauimus. Ille inquam, qui ad ista fata, deorũ immortalium nutu, reseruatur. Huic, qui fortunam tacite obiicíunt, ipsi suam fortunam nondum a tergo inspexerunt. Nunq̃ deerit fortuna, si sapientia utamur. Multoq; præstat, fortunæ non subiacuisse, q̃ sapientia carúisse. Sapiẽtia uero ad principem spectat, a quo hęc fere desyderant̃, ut regno suo optime præsit, ut senioꝝ & prudentium cõsilio Rempub. administret, ut a regimine pueros, mulierculas, & effœminatos homines excludat, ut in corrigẽdo, seueritatem iustitiæ, cum humanitate coniungat, ut erga bene meritos munificus, & liberalis existat, ut regni opes non facile profundat, ut patriam immoderatis quæstubus non expilet, ut iura libertatemq; patriæ, nulla spe lucri, aut gratia cuiusquam flexus diuendat, imminuiue permittat, ut sese omnibus exemplum continentiæ & integritatis exhibeat. Hæc sunt, quæ bonum imperatorem, strenuumq; ducem reddunt, non ea, quæ uulgo magna, & præclara putantur, corporis robur, audacia (quæ & temeritas dicitur) usus belli, impatientia quietis, tolerãtia laboꝝ, & siqua alia sunt, quæ hominibus admiranda uidentur. Cum ad alias uirtutes comparata, statim euanescant, atq; obscura fiant. Restat iam ut de priuilegio Germanicæ nationis in designando imperatore, pauca dísseramus. Et licet ista pars apud uos multum ponderis, atque existimationis habere merito debeat, a nobis tamen multis uerbis pertractanda non uidetur. Quantum eñ ad Carolum regem attinet, omnibus credo habunde satisfactum esse. Interim tamen quid ego de hac re sentíam, & quid uos sentire ac statuere uelim, breuiter explicabo. Requiritur eligendus a uobis imperator, qui ex Germanica natione sit oriundus, neq; hoc solum, uerum etiam qui ipsam linguam, moresq;, ac illum magnanimum & generosum spiritum ex incunabulis hauserit.

Id ego non solum prudenter,& caute,a uestris maioribus constitutum fuisse, uerum etiam a uobis diligenter obseruandum esse pronuntio. Si enim uestri honoris, ac publicæ libertatis memores esse uultis,nunquam admittetis, ut Germanica natio per uos sese dispoliatam suis priuilegijs lamentari merito possit. Ea profecto longo iam usu apud nos consenuerunt,& in hunc usque diem inuiolata perdurant. Nam. DCCCC. fere exacti sunt anni,ex quo Ro. Imperium,maxima gloria nostra occupamus. Ab illo uidelicet die,quo,inclinante Græcorum fortuna, ad Francos Germanos rerũ summa translata fuit. Non libet hoc loco ueterem illam controuersiam mouere, quæ sæpius est ab eruditissimis retractata, qui nam prisci illi extiterint Franci. Sed hoc unum dico,longe a ueritate alienos esse,qui hos ad Galliam trahere conantur. Quippe cum ante Chlodonei regis tempora,in Gallijs habitasse Francos nullis historijs comprobari posse certum sit, at tum Germaniam illos inhabitasse constat. Et licet Gallijs dominarentur, Germaniam tamen aliquando deseruisse, qui affirmat impudentissimus est. Id nanq; & Francorum annales testantur, & innumera in ipsorũ legibus prodita memoriæ uocabula,quæ Germanicam redolent originem. Huiusmodi permulta comperiet,si quis mihi credere noluerit,in lege Salica,& Ripuariorũ, deinde in constitutionibus Caroli magni, Ludouici Chlotarij, ac Caroli iunioris. Testatur præterea frequens, & prope continua illorum apud Germanos conuersatio, confessusque. Belgicam enim a Germania non seiungimus, moti præter alias cum fortissimas, tum efficacissimas rationes,auctoritate præclarissimorum, & amplissimorum uirorum, P. Cornelij Taciti, Clau. Ptolomei, Stabonis, Eutropij ac aliorũ, qui etiam Neruios, Eburones, ac Atrabatas Germaniæ adscribunt. Quod si nulla alia prorsus ratio suppeteret, satis ( ut opinor) fuerit, Germanorum in Gallos mutuum, & inextin-

guibile odium. Cuius inter priscos rerum gestarum scriptores, non semel C. Cæsar, Tacitus, atque Suetonius meminerunt. Vnde quum & lingua, & moribus, tum etiam conuersatione a Germanis nihil dissimiles, sed arctissime copulati fuerint, satis probatum puto, hos non modo præiudicium uobis nullum facere, uerum etiam magnum splendorem, atque ornamentum nostræ nationi adferre. Quare cessent Galli de istis sese iactitare, tam claris & inuictis principibus, sola hæc gloria Germanicæ nationi, ac uestris dignitatibus debetur. Nolite ergo uestram libertatem, uestra priuilegia, extranei regis libidini exponere. Cauete quæso, ne alium Imperatorem pronuntietis, quam e uestra natiõe, & Germano sanguine propagatum. Quõ enim uos liberos esse sinent, qui suis subditis insolentissime & superbissime dominantur? Quod si uobis in animum uenerit (id quod nos unice a deo optimo, maximo postulamus) Carolum regem, ut sacro Romano imperio regem comitijs Franckefurdiensibus decernere uelitis, non dubitamus quin id toti Christianæ Reipublicæ, bene fœliciterque cessurum sit. Vestris denique dignitatibus, cunctis Germaniæ, puincijs, ciuitatibus, oppidis, gratissimũ aliquando fructum sit allaturum. Quandoquidem regem habituri sitis, quem natura ad id effinxisse uidetur, ut mortalibus imperio dominetur, consilio præsit, mansuetudine, ac æquitate adiumento sit. De quo uere prædicari potest, id quod Cyrus Persarum rex dicere solitus fertur, Imperium ei deberi, qui quibus imperet melior sit. Nam præter eas uirtutes, quæ egregium imperatorem efficiunt, omnibus fortunæ dotibus, omnibus naturæ ornamentis, prędit⁹ est. Paternam enim originem, triũ imperatorũ sanguine decoratã, Maternam uero ex illustrissimis & potentissimis Hispaniarũ regibus deriuatã, suo ingenito fulgore, uelut q̃ddã luculẽtissimũ sydus illustrat. A quibus hæreditario iure superioris, atq; inferioris

Germaniæ angulos regendos accepit, ita ut intra illos nō tam inclusa, cꝫ munitissimo quodam uallo septa Germania uideri possit. Qui triplici etiam Hispaniæ, latissimæ, & opulentissimæ prouinciæ, iustissime dominatur, atcꝫ augustissime præest. Qui mediterraneum mare, ex Hispanijs uscꝫ ad Creten Asiæ insulam, suis classibus nauigat. Qui Sardiniam, Corsicam, Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam, Mauris Turciscꝫ oppositas, summa uirtute tuetur. Qui maximam Africæ partem, iuxta Atlantem montem, a columnis Herculis, & initio Gadium, uscꝫ ad Tripolim, atcꝫ Carthaginem tributariam possidet. Qui tanta est fœlicitate, ut huic plus uno die terrarum fortuna contulerit, cꝫ potentissimi aliquando reges, & expertissimi duces, bello subiugare longo tempore, ac diuturno labore potuerint. Qui in ea est ætate constitutus, quæ & uires, & animum cum tempore ipso solet augere. Qui gratia tantum apud Germanos ualet, quantum ante hunc nemo alius. Hunc itacꝫ si delegeritis regem Romanorum, uobis, totique Christianæ Reipub. optime consultum esse sentietis. Imperij fines ampliari, uestros perpetuos hostes profligari, postremo infideles, ac barbaros ad fidei professionem uenire supplices cōspicietis. Quod ita uobis inspirare dignet Opt. Max. deus.

AMEN.

Dixi.

¶ Edita Franckefurdiæ, Anno domini. M. D. XIX. IX. Kalendas Iulij.

# INVICTISSI-

ATQVE CHRISTIANISSIMO CA
rolo Ro. regi designato, Hispaniarꝝ insuper,
ac utriusꝙ Siciliæ regi, Austriæ Burgun
diæꝙ principi potentissimo, Hermã
nus de Nuenar Comes, nomĩe
studiosorꝝ Germaniæ, sa
lutem atque fœlicita
tem perpetuam
optat.

POSTEAꝙ rumor apud Germanos increbuit augustiss. rex Carole, te, dei optimi maximiꝙ nutu beneficioꝙ, Christianæ Reipublicæ principem ac moderatorem designatum esse, increbile est, quanta fuerit omnium Germanorꝝ exultatio. Et potissimum illorꝝ, qui sub patrocinio aui tui glorioſissimi Maximiliani Augusti bonis studijs operam suam locauerunt. Hij quippe cum pientissimo principe, ac studiorꝝ suorꝝ defensore spoliatos se iamdudum uiderent, non iniuria acerbissimo luctu, & ingenti mœrore perculsi torquebantur. Sed hunc subito leniuit fœlicissima fatorꝝ series, neꝙ leniuit tantum, uerumetiam cumulatissimo gaudio commutauit. Fuere tũc inter hos aliꝙt ornatissimi uiri, qui me tacite adhortabantur, ut ad te stilum conuerterem, & hoc, quantulumcunꝙ est, literarꝝ negotium, nomine studiosorꝝ Germa-

niæ mihi desumerem. Quibus (ut uerum fatear) parum haud inuitus, cum quod officij mei id esse ratus sim, tum etiam q̄ occulte me stimularet, immo impelleret, nuper inflicta, non mihi tantum, sed etiam doctissimis & honestissimis uiris, contumelia, quorum nonnulli fuerunt, qui mihi magna necessitudine deuincti tenebantur, ita ut non paruam contumeliæ partem in me redundare cernerem. Quapropter cum hanc omnes in te Carole Cæsar spem, fiduciamq̄ coniecerimus, ut studiorum nostrorum futur̄ te haud dubio & patronum, & uindicem putemus, rogant te studiosi omnes, atq̄ eruditissimi totius Germaniæ literarum professores obtestantur, ut renascentium iampridem bonar̄ artium curam habere uelis. Ipsa quoq̄ Germania florentissimis, atq̄ pulcherrimis ingenijs undiq̄ excultam sese conspiciens, summo desyderio, summoq̄ affectu optat, ut tuo augusto auspicio fœdissimam sophistarum barbariem e suis finibus exterminare uelis, quæ iam annos plus quam octingentos, magno cum dedecore, atq̄ iactura omnium artium perdurat. Has nobis reliquias abominabiles barbaror̄ tumultus inuexerunt Gotti, Longobardi, Vuandali, Slaui, Huni, Nordmanni. Hos itidem defæcare, & excutere tuo candore perfacile poteris. Qua in re non opus est ut multum laboris insumas. Iacta sunt fundamenta, nihil restat, nisi ut uel tuo, uel optimatum tuorum patrocinio structura fulciatur. Dignum profecto principe, dignum illustribus uiris patrocinium. Magnus enim rex fuisse Dionysius ille Tyrannus perhibetur, sed non parum ornamēti contulit huic Platonis, & Aristippi familiaritas. Quantum uero laudis Cyro regi ficta Xenophontis hystoria comparauit? Quid esset iam Mecœnas, nisi Vergilij fortitus esset præconē? Quid de Alexandro rege dicam? nescio certe an huic plus profuerit dignitas Aristotelis, quam subiugata Asia, & cæsus Darius potentissimus alioq̄ Persar̄ dñs. Nam inter alias eius laudes quasi

amplissimam hanc refert Plutarchus in eo libello, quem περὶ τῆς τοῦ Ἀλεξάνδρου τύχης καὶ ἀρετῆς inscripsit, cuius uerba subijciam τὴν μὲν ἁρμονιακὸν ἀνάξαρχον ἐντιμώτατον τῶν φίλων ἐνόμιζε. πύῤῥωνι δὲ τῷ ἠλείῳ πρῶτον ἐντυχόντι μυρίους χρυσοὺς ἔδοκε, ξενοκράτει δὲ τῷ Πλάτωνος συνήθει πεντήκοντα τάλαντα δωρεὰν ἔπεμψε. ὀνησίκριτον δὲ τὴν Διογένους τῶν κυνὸς μαθητὴν ὅτι ἄρχοντα τῶν κυβερνήτων κατέστησεν. Sed non sunt nobis longe repetenda exẽpla, añ oculos obuersatur gloriosiss. auus tuus Maximilianus, q̃ nemo unq̃ fuit in prosequendis doctis hoĩbus liberalior, munificentiorq̃. Et fieri nequaquam potest, ut huic tu uirtutibus, & egregijs factis cedere uelis. Imperium Romanum obtines, idipsum humanitatis artibus tutelare quoddam numen semper fuit. Te igitur alterum Antoninum nobis exhibe, quem inter optimos principes merito consecrauit uetustas, & eidem gloriæ palmam tradidit, ita, ut singulari hoc ἐπιθέτω appellaretur φιλόσοφος. Redde itaq̃ sua præmia bene merentibus, foue studiosa ingenia, & breui uidebis in Germania renasci Athenas. Coerce quæso imperiosum, & uiolentum genus quorundam sophistarum, qui ad perniciem literarum nati sunt, Theologistas dico numero non admodum multos. Et ut rem totam intelligas, fraterculos quosdam magnis titulis insanientes, iube suorũ cœnobiorum curam gerere, iube domi fratribus suis regendis operam impendere, sacris faciendis inuigilare, populum Christianum diuino uerbo & euangelica doctrina reficere, non decoquere rem familiarem, non excitare turbas in ecclesia, non spargere rumores, non seminare linguæ suæ uenena in uulgus, non labefactare famam bonorum uirorum, non uendicare sibi in alios imperium, qui omnium debent & uita & exemplo esse humilimi. De quibus, & si apud te iure conqueri possem, ut

pote quos ſenſerim famæ meæ grauiſſimos hoſtes, tamē malo hoc tempore communem cauſam agere, quam meipm uindicare. Vnica, crede mihi, peſtis eſt in Germania IACOBVS HOGOSTRATVS, quam ſi reſtinxeris ἐσαὶ πάντα καλῶς, hō præter ingentem ſuam audaciam inſignit impudens, atq; temerarius. Nolo equidem mihi tantum ut fidem adhibeas. Omnes interroga (ſi libet) per Germaniam doctos uiros. Omnes læſit, omnibus æque infeſtus eſt. Quid multa? ſtudioſorum publicus ex profeſſo eſt hoſtis, καὶ ἐστὶ μὲν φιλανθρωπίας. Quare te iterum atq; iterum rogant, hunc ut tua auctoritate compeſcas, & ut uel tacere omnino, uel melius loqui præcipias, cenſorem ſui, non alioꝝ agat, domui ſuæ conſulat, & iuxta Apoſtolicam doctrinam, non ſit uerboſus, nō detractor, ſit ſobrius. Quod ſi ita, ut ſperamus, effeceris, polliceor tibi, ꝙ omnes, qui in ſtudijs literarum aliquid conſecuti ſunt, idipſum gratiſſimo, & iucundiſſimo animo acceptum tibi referent. Omni denique ſtudio, diligentia, induſtriaq; ſuas opes in te certatim effundent, ſua ſtudia tibi addicent, ſeipſos tibi perpetuo deuouebunt. Teq; cum totius orbis cōmodo, Neſtoriam ſenectam ſuperare optant, ut hoſtibus tuis fœliciſſime domineris, ut fidei Chriſtianę utiliſſime præſis. Vale, & hanc legationem noſtram ꝓ tua clementia boni conſulas.

# EXHORTATIO NOBILIVM GERMANIÆ per doctiſs. ingenioſiſſimumq; uirũ Iacobum Sobium, inſignijs doctoratus. LL. decoratũ, ad Illuſtriſs. Carolũ Hiſpaniarũ regem, ac Ro. ſemper Auguſtũ deſignatum.

ONMIRABERIS CHRIſtianorũ regum florentiſſime potentiſſimeq; Carole, ſi nos noſtræ anxijcum dignitatis, tum ſalutis etiã, conamur admonere, quõ, noſtra ſponte ac omniũ expectatione mortalium in te congeſtum, nrm, Romanicq; populi, atq; adeo orbis terrarũ imperium, fœliciter gerere, ac prudenter adminiſtrare & uelis & poſſis. Siquidem cum tantam molem imperij ipſe,

ſummis plenam curaꝝ ſollicitudinumq; fluctibus, teneris adhuc tuis impoſueris humeris. Nec nos etiam ſine ingenti oīm nr̄m periculo principatum, ac habenas totius Chriſtianæ Reipub. tibi commiſiſſe iudicaremur, ſi alius eſſes, q̄ te omnes eſſe ſciunt, atq; pertinaciſſime adſerunt. Quippe cum totum id, quod tibi uel officio, uel gr̄a moti, contulerimus, in nr̄am culpam redundaret. Cum non facili momento, ſi quod erratum fuerit reſarciat̄, nec rurſus ſine orbis commodo, quod bene inde prouenerit numeretur. Quod ergo faciendum, ſi ætas ſuppeteret, nequaquam fuerat, id ſi modo omiſerimus, temeritate potius, quam conſilio prouexiſſe te ad tantum imperij culmen, certe poſt Dei immortalis opes maximum, iudicaremur. Aequo ergo Carole, unica Chriſtianorum ſpes omnium, animo feres, ſi nos noſtrarum ſolliciti rerum, quid e re utilitateque noſtra, quidque ex tua dignitate fuerit, paucis ceu digito commonſtrauerimus, quo tu bene, fœliciterq; imperitaſſe nobis, nos recte dicto audientes fuiſſe, præclarunque tibi imperatoris feciſſe nomen poſteritati dicamur. Neq; uerebimur ob id male audiendum tibi, quando tua ea eſt ætas, ea præclara indoles, id uirtutis ſpecimen, ut cuique bene monenti potius, quam pernicioſe blandienti aurem præbeas, cum alioqui aduleſcentia, proprio affectuum agitata malo, non facile inter uitia, uirtutesque diſcrimen habeat, abijciendaque eligat ſæpe, ac reſpuat eligenda. Paucis his ante actis diebus, cum Romanum imperium ſuo gubernatore Maximiliano clariſſimo auo tuo, non ſine ingenti omnium dolore, ac totius orbis incommodo, orbatum eſſet, ſumma excitata animorum ſunt ſtudia, alijs alio imperium trahentibus, intenti tñ omnes in ſeptemuiros illos delectos Heroas, quem tandem ſuis deſignaturi eſſent ſuffragijs, cui ſumma imperij, ceu digniſſimo, excellentiſſimoq; imperatori, concredenda ueniret. Miꝝ quanto deſyderio, quam unanimi popularium uoto pp-

ſtulabaris. Te ſenes autebant, te expectabat uiridior ętas, te proceres canebant, te prædicabant plæbei. Nulla præterea non fuit Reſpublica quæ non libens, ac gratulabunda tuum uidebatur ſubitura iugum. Nec minus fuere propenſæ uoluntates in Carolum, nobilis illius Sueuici exercitus, egregiį Germanicæ libertatis uindicis, impotentis tyrannidis pulchri punitoris. Vix dum enim illi alium uidebantur paſſuri Romanum regem, quam te Carolum, trium clariſſimorum una ſerie Romanorꝫ imperatorꝫ nepotem, fœliciſſimũ ante ſe regum omnium, ut cui ſine bellis, ſine ſanguine, ſine cladibus, tot incruenta contigerint imperia, tot ſubditę ſint nationes, tot pareant populi. Quippe qui ad orientem Danubium teneat, in meridie Ionium mare, ac Siculum fretum, cum ipſa Trinacria, ac non exigua Italię parte, poſſideat. Qui in Hiſpaniis Aphricaq; cum Herculis colũnis occidentem cuſtodiat ſolem. Poſtremo in Oceano ac mari Germanico ſeptẽtriones cõſpiciat. Nec quietiores etiã Heluetij, bello geniti, uidebant, qui ut te regem cõſpicerent Chriſtiano imperantem circulo, non laboribus, non ſanguine, non uitæ deniq; ſe parſuros polliciti. Quod ergo bonum, fœlix, fauſtũq; ſit, tibi, nobiſq; omnibus, tete inclyte Carole, deſiderate mortalibus, libero Germanorꝫ nate ſtirpe, deſignatum Ro. regem. IIII. kal'. Iulij, cum uotis, ac precationibus in deum opt. max. plauſu, & gaudio erumpentibus lachrymis, cõcordi cœleſtium uoluntate, ſeptem uirorꝫ ſuffragio, ſuſcepimus, dantes accipientesq; ultro ac citro beneficiorꝫ cumulos. Abſte ſcilicet, ubi, ut pius patriæ pater, ac princeps noſtræ Reip. temonẽ recte gubernaueris. Contra, ubi nos pro incolumitate, ac ſalute optimi principis, non ſęui dñi, opes, ſanguinem, ſpiritus, ꝓfuderimus. Memĩeris ergo obteſtamur, te aſcitũ in principatum, non tyrannidem, quem ita demũ rectiſſime, diutiſſimeq; ſuſtinueris, ſi plus uiriũ tibi in amore nr̃m, q̃ timore poſueris. Amor ſiqdẽ ꝓpetuũ fert principẽ, timor

uero inuisũ breui e medio tollit. Sint Phalarides tibi, sint Dionysij, sint superbi Tarquinij, sint Neroues, sint Caligulæ, sint nostra etiam tempestate ceruina illa cornua recenti exemplo. Sed quomodo nos id de te timere in animum ducere poterimus? qui auos habueris paternos Augustorum, atq; adeo mortalium omnium clementiam longe superantes. Vnde impetrare nihil æque, atque delictorum summam impunitatem facile fuit. Nec tamen ut conniueas uolumus, uerum clementiæ mixtam seueritatem exposcimus. Sonteis, ne scelera superent, punias, sua cuiq; cum discrimine des præmia. Non ijs, qui quæcunq; dixeris, fecerisq; laudauerint, qui te a pedibus semper secuti fuerint, qui cum admiratione quæore, uel leuissima quæque, temere lapsa, excœperint, qui fiscum tuum locupletare, miserorum flentiumq; ratione non habita, studuerint, qui iocularia exercuerint, qui mafora expiscaturi, munusculis onerauerint, qui oratorijs phaleris te deum fecerint. Sed qui aliquando errantem serio increpauerint, qui domi potius, foriscq; salutem tuam quæsierint, qui salubria tibi, tuæq; Reipublicæ sapienter libereq; admonuerint, qui bono modo diuitias tibi conquisierint, qui in ciues eas auidius contulerint, quam inde emunxerint, qui morum grauitatem disciplinis cõiunxerint, qui proprio relicto, tuum patriæq; commodum amauerint. Ea uero quamoptime fient, quando, quæ uere maximo facienda principi, ipse feceris, adulatorem uidelicet, principum communem pestem, ab amico discreueris, cognitumq; abs te reieceris, uel maxime præeunte ac iter commonstrante grauissimo, doctissimoque Plutarcho, Imperatoris optimi Traiani, optimo præceptore. Tuis item præceperis, suis contenti stipendijs, abeant, non eos, qui tuam implorauerint opem, qui ad te non aliter, quam ad sacram anchoram, & parentem communem, & protectorem confugerint, spolient mutilentq;, ut satius etiam fuerit, uel omnia perdere, uel patria

exulare, uel ad hostes confugere, quam tantis laboribus, tantis impendijs, tantis periculis, saltem principis frustra toties & tam diu, poscere congressum, id quod profecto maxime uulgi animum a principe auertit. Adeo regem uel malum, comem saltem, plæbs æquiore tollerat animo. Ita apud Syracusas arreptam tyrannidem, constans Populi Romani amicus & socius Hieron. in mite legitimumq; conuertit imperium, cum ipso habitu, benignitateq; a cæteris ciuibus nihilo uideretur differre. Pateat ad te aditus, pateat cuique sua tibi aperiendi facultas, da supplicantibus digna responsa principe, aut si id per occupationes nequis, eos ordinato, non qui pecuniam tuorum quærant, sed salutem. Audi obsecramus quid Philippo Macedoni contigerit, ad quem cum anus quędam confugisset, sui negotij audiendi postulans locum, illo non uacare sibi respondente, inquit, ergo nec regnum quidem dignum habet principem, qui tuos nō audias. Sed qd hoc? nō petimus ut nobis equeris. Tuā sustine, ac auge potius dignitatē maiestatēq;, inē mortaleis plane diuinam, modo cogitaueris tantum uelle prodesse, quantum possis, ut sentiat patria non maiestatis fuco duci se, sed ope iuuari. Id etenim, quod alioqui a cœlesti, immortaliq; petimus deo incolumitatem uidelicet & fœlicitatem, id & a te tanquam dei uices in terris gerente, exposcimus. Non, ut paupertate nostra tuas opes auctas arbitraueris, non, ut fœlicitate, aut potius opulentia tuæ detractum potentiæ crediderís, uerum iudicaueris, potius nos tuarum diuitiarum custodes esse, & quæstores, nostraq; omnia in tua, ubi opus fuerit, necessitasq; postulauerit, futura potestate. Lycurgus ille Lacon Cyro Persarum regi uidere cupienti gazam regiam, ciues eius asseruatores ostendit. Crœsus etiam uictus, cum interrogasset, quid sibi militum ille in capta urbe tumultus uellet, Cyro respondente, urbem eos belli iure diripere, quare, inquit, tua diripiunt? & rege, & urbe in tua

existente potestate? Hic animum adijcias obtestamur o Carole, o patriæ pater, o fausto nominate Augusti nomine, atque tandem amoueas, obliteres, quibus, tua parens Germania, tua alumna, quæ nato primum uitam, deinde & benigna alimentum præbuit, quæq; modo ut se tueatis, ut sibi præsis, ad te confugit potissimum, male diu audiuit, maleq; infamis fuit, latrocinia uidelicet, & rapinas. Rara enim hucusque tuta itinera, rara peregrinantium protectio, non incolæ, non securi aduenæ. Atque adeo non plæbeiorum id solum est facinus, uerum solo nobilium nomine. Ii enim cum ignauia fuci sint, soli diti inertiæ, soli crapulæ, soli sui patrimonij decoctioni, congerentes alias apiculas & mella, & flores, unde tandem sustineri rex possit, prosternunt, spoliant, trucidant. Horrendum reuera facinus, nec cuique bono ferendum principi, per orbem tute peregrinatos, in sola spoliari, necarique Germania. Accessit ad hanc priuatam Germanorum insaniam publica totius Christiani orbis rabies, sua in semet ciuilia conuertentis arma, & quæ bella in hostem Christiani nominis uertisse debuissent, ijs communi furia seipsos ad internitionem usque confecerunt. Numeretur (heu dicendum nephas) princeps quisquam, numeretur natio, numeretur Respublica, numeretur uel pagus, qui non horrido atrociq; bello ingentem senserit cladem. Alij ex nobis bonos amisimus principes, alij parentes, alij liberos, alij iocundos assuetosque penates, alij quicquid præterea charum, antiquumque habuimus. Et quod (o dolor, o nephas, o dominandi fœda libido) detestandum fuit magis, principem religionis paucos ante annos IVLIVM nacti, qui cum præter alia parum Apostolico digna commissa uiro, Christo auctore pacis assertor esse debuisset, summæ esse sibi gloriæ putauit, si Christianos ipse omnes in mutuam concitasset cladem. Sed quid hæc modo? ipse scis generosissime Carole, quam bene

consuluisset nauiculæ turbulentus ille, ac temerarius gubernator, si tranquillo potius quam æstuanti eam commisisset freto. Putauit homo ille, pietatem esse maximam, si Romanam ecclesiam pernicios is diuitijs, profanis ditionibus, per fas, nefas, fracta, discissa, rupta fœdera, gladios, sanguinem, mortem Christianorum, contemerasset potius, quam collocupletasset. Quo nihil impium magis Christianum, uel ethnicum etiam pectus potuisset concipere. Tu uero si nobis, tibiq; consultum esse uoluerís, nihil pace credes antiquius, nihil pulchrius, nihil melius. Illa enim te fouit, illa tot tibi incruenta tradidit imperia, illa unanimi omnium uoto paulo ante te regem moderatoremq; orbis constituit. Quibus ergo artibus imperium id custodire melius, quam pace potueris? Nemo profecto nemo, qui inficias eat, ijs artibus optime seruari imperia, quibus parantur, nimirum pace. Mala reuera bestia bellum, efferatum initium, tristem, ac uere tragicum exitum habet, nec uictori grata, nec uicto, dulce saltem inexpertis. Ea solet mortalium esse cupiditas, ut nunquam expleatur. Habenti adijciendum semper, maxime in imperijs. Tu uero præclarissime egeris, si id cogitaueris, quod tritum usu habet prouerbium, Spartam adeptus eam adorna. In alienis occupandis, inuadendisque ditionibus, ipse tuas, ceu ludo, deponas oportet, Si alea recte, & ad uotum ceciderit bene est, iam uictor, iam triumphator appellaris. Sin contra, id quod plærunque solet, euenerit, is qui paulo ante nationibus, gentibus, regibus imperasti, alieno, cum summa & clade, & ignominia, seruies uictori domino. Et ut inconstans bellum fortuna uersat, bene saltem ageretur, si non mors quoq; cum uita commutanda ueniret, ac ita demum, patria suo orba principe, in medio hostibus diripienda, deuastandaq; relinqueret. Nec hic exẽpla quærenda. Omnes historiæ, omnes annales, ipsa eti-

am noſtra ætas innumera ſuppeditabit. Ex quibus tamẽ unici, ac eiuſdem domeſtici, auitiq; memineris. Carolus Burgundionum dux, auiæ tuæ Diui Maximiliani conſugis pater, ſi ſuis contentus, aliena oppugnare deſtitiſſet, laudatiſſimus profecto princeps, infœlicem non oppetijſſet mortem. Inuidebunt tibi aliqui, grauemq; credent te ſibi imminere. Satius tecum agitur, malumus inuidia urgeri te, quam commiſeratione deplorari. Illa fortunæ, hæc miſeriæ comes eſt. Quod ſi per illos neceſſario bellum gerendum tibi, ſi is hoſtis propulſandus finibus, tu quam potes minimo tuorum malo, minima Chriſtiani ſanguinis profuſione, quam ocyſſime finias, nec cauſas ex cauſis, nec ex bellis bella cumulaueris. Porro ſi bellica gloria feruido, aciuueníli conſederit pectori, ſi generoſum animum iniuriæ ſtimulauerint, ſi dilataſſe fines pulchrum duxeris, recte egeris, ſi non in tuorum uiſcera arma conuerteris, non in tuæ Reipublicæ principes diſcordiarum ſemina conieceris, quo nihil poteſt eſſe fœdius, ac pernicioſius, magiſq; a patrię patre alienum. Habes alicunde ſatis uberem gloriæ campum. Vrgent ſemper infeſti Aphri ad occiduum uerſi ſolem, Vrunt Scythæ, inſultant Traces, minatur grauiſſimus Aſiæ dominus, tuculenti omnes Chriſtiani nominis hoſtes, quos niſi compoſita prius inter tuos pace abſterrueris, breui in penetralibus tuorum ſenties regnorum. Et quoniam illo neceſſario bellum ſit traducendum, ſatius fuerit, illorum uri agros, abduci pecora, diripi prædas, diruí munitiones, incendi ciuitates, quam ea omnia, atque his indigniora multo, in noſtris ſentire finibus. Habes duces ſagaciſſimos, promptiſſimos milites, nec minus bello peritos. Neque nos, ubi ſigna occinuerint contabimur, quin te alacres ſequemur, ſanguinem ſimul cum uita poſituri. Nec te hoc loco ſollicitet, quis in hos uſus pecuniam belli neruos ſit adminiſtraturus, non opus fuerit noſtris, hoc eſt, Germanor; Hiſpanor;

sumptibus id geri bellum, cum tot annis, immo sæculis, immensam pecuniarum molem in eum usum Romam certatim contulerimus. Cum multarum, opulentissimarumque ditionum imperium, ob id Pontifex maximus paulatim occupauerit, atq; possideat, qui alioqui Petri, hoc est, Christi uicarij, ac eius, cui neq; argentum, neque aurum fuit unquam, hæres extiterit. Is tibi rationem subducat Annatarum, indulgentiarum, uectigalium, quæ omnia summi Pontifices hoc saltem prætextu, ac in nullum alium usum, præterquam hospitalitatem, misericordiæq; opera, Cæsaribus conniuentibus, custodientium nomine subleuarunt. Iis ergo acceptis pecunijs, Pontifice ad altaria sua gerente, (quando incruentum penitus Petrum in horto dominus, condito ad uaginam gladio esse uoluit, agnoscereq; linguæ tantum mucronem, quo per spiritum, ac Dei uerbum credentium in domino corda feriret) bellum fœliciter fortunateque aggredere, expleturus tandem nepos, quod tantopere desyderauit Auus. Quod si eam distractam apud Pontificem inueneris pecuniam, neq; in hos uel conuersam, uel seruatam usus, quid obstat? cur ipse tuo, hoc est, Romano imperio, tuis ditionibus manus inijcere non possis? atq; ad te reducto Italico (unde potissimum nomen Germanica partum uirtute habes, Augustusq; appellaris) imperio, expeditionem ingredi? Male siquidem depositum illic concreditur, unde nihil redditum iri sperabis. Sperabimus enim tum, Christo IESV auctore, fœliciter glorioseq; Christiani sanguinis hostes, tuæ subdituros manus ferulæ, aperturosque triumphanti tibi, Triumphatoris Christi sacra sepulchri adyta. Agnituros quoque Iesu Christi, ueluti piæ oues, piam pastoris & uocem, & stabulum. Nec hoc male Pontificem habere debet, si nos paulo liberius loquamur, id quod e re Germaniæ fuerit. Quippe cum uideamus, indoleamusq; tandem ad uiuum exugi pecunias nobis, emungi miris arti-

bus ſubſtantiã pauperẽ, nec quidpiam, q̃d eq̃dẽ ſciamus, interea uel in Chriſtiani noĩs hoſtes expendi, uel ad augẽda pietatis opera cõuerti, ſed heu abſurdũ dictu, noſtrorẽ opibus, quas multis ſæpe ſudoribus partas conſtat, Itali homines in ſuas uoluptates abutuntur, quantoque iam quiſq; Pontificum pluribus oneratus eſt neceſſarijs, tanto plus uenit expilanda Germania, quaſi ea ſola ad explendam Italorum famem expoſita eſſe debeat. Et quod omnium maxime indignum putamus, eo nomine quoties in Italiam uenimus, peſſime audire cogimur, tanquã ſtolidi ebriiq;, non absq; magna noſtra contumelia, ſed quam noſtra ſtultitia optime promeretur. Verũ hæc oĩa immeritis nobis a Pontifice ĩponi dolemus, cui ſupra alias nationes ſp̃ fuimus fideliſſimi. quo factum eſt, ut feramus utcunq; eo proceſſiſſe tuorum maiorum humilitatem, ut quoties Imperatorem accipiendæ coronæ gratia Romam accedere contigerit, eum iniecta ad frænum manu, Pontificis mulam ducere oporteat. q̃d quidam etiã auſi ſunt libris commendare. Feramus etiam ut Imperij coronam Pontificijs pedibus ſuſcipias, quanquam id nõ nihil indignum uideri poſſit de Imperatore, ut ſine cuius auctoritate olim nulli creabantur Pontifices, cui etiam, ueluti Pontificis collegæ, alterẽ commiſerit dominus gladium. Cum & ſanctus Samuel a deo electus propheta diuina iuſſione ſuper caput Dauid regis, oleum benedictionis, manibus infuderit, non pedibus. Feramus item ut oſculeris eius pedes, qui uicarius eſt, & imitator illius, qui ſuorum diſcipulorum pedes & lauerit, & oſculatus fuerit, quiq; illius ſucceſſor eſt, qui corruentem ad pedes ſuos Cornelium centurionem, tum etiam Ethnicum, ſurgere iuſſerit, inquiens, homo ſum quemadmodum & tu. Ferenda hæc omnia, maxime, quia ſpeciem habent pietatis, & debetur hoc Chriſto, debetur Chriſti uicario, quanquam neq; diuina lege iubeẽ, neq; eccleſiaſtica ſanctione, aut ſanctorẽ patrum cõi auctoritate ſtatuitur, ſed

potius tolerantia quadam tuorum maiorum (qui dignissimorum uirorum sanctimoniam uitæque integritatem admirati intantum se summiserunt) in consuetudinem irrepsit. Atq; eo quoq; æquiori animo, quod hæc corporis & sensualium incommoda censentur. Verum quod infestius nobis, maleq; nobiliorem hominis partem habet, nullo deinceps pacto (si omnium saluti consultum uolueris) ferendū. Vt q; ab Italis in nr̄a grassatum sit sacerdotia, in nostras, nostrorumq; sæuitum animas. Parentum siquidem nostrorum in Deum Optimum Maximum pietate, quo multæ Christo lucrifierent animæ, sacerdotia magno per Germaniam constituta numero, ac dotata egregie, uidimus modo cum irrecuperabili iactura, pessimis, indoctissimisque agasonibus, lenonibusq; in prædam uenire, ita, ut nulla salutis uel minima habeatur ratio. Solumq; id æstimetur quantum reddituum habeant, quantumque pendere quotannis beneficia possint. Quo factum est, ut unus arripiat omnia, unus deglubat pessimus per fenestram ingressus latro, diuinus relinquatur cultus, non suo pane inops pascatur plæbecula, exempla introducat pessima, intereant miserorum animæ. Quibus demum omnibus nulla alia obuenire ratione poteris, nisi tandem auctore Leone Decimo seuerę diu intermissum indicas concilium, quo uno adhuc labenti Reipublicæ subueniri potest, alioqui deploratæ. Sed illa o Carole pene præterieramus, quæ summam in hac parte tenent, ut legibus scilicet pulcherrimo pacis operi animum adijcias. O si uideres quot technæ, quot limæ absolutissimo iuris corpori perniciose, ac calumniæ tantum causa sint adiectæ, ac improbe indies sine modo confingantur, adeo, ut cuique satius fuerit causa cadere, quæ habeat amittere, in nexum corpus tradere, quam lites sequi in quartum traductas hæredem, ac tum demū summi iuris summam expectare malitiam. Iustinianus Cæsar, qui in pandectarum libros, ueterum cum delectu

digeſſit leges, iam tum ſuo tempore nimium cumulatas quęſtus, auctasq; in immenſam uerſuum multitudinem, quæ non tam iuſtitiæ, æquitatisq; indicarent iter, quam quæ confuſione inuoluerent, diſſimilibus, diſſentientibus, contrarijsq; etiam legibus, ipſe ergo, ſuis dato negotio, ut quæ eſſent parum recte, eas tollerent, ac immutarent, quam optimas excogitarent, quæ bene conſtitutæ eſſent relinquerent. In leges conquirreent, quę & iuſtæ eſſent, & Reipublicæ conducibiles, & inter ſe conſentientes, quæ lites parerent pauciſſimas, exortas uero ocyſſime finirent. Nulli deinde mortalium ius eſſe uoluit, commentarios in leges conſcribendi, interpretandique eas, niſi imperatori, neminem rectius interpretari leges poſſe, quam illum, unde profectę fuiſſent iudicans. Si qui uero præter Imperatoris edictum id temere conarentur, ipſos crimini falſi, libros uero ignibus uoluit eſſe obnoxios. Quod ſi modo, in corpus reducta anima, Iuſtinianus in uitam rediret, indicta eueſtigio cauſa, non aliquot tantum uerſuum millia, uerum libros plurimos ineptiſſimos, falſiſſimosq; cum ipſis auctoribus ignibus concremandos mandaret. Tui ergo muneris erit Inclyte Auguſte, plæbi tuæ proſpicere, ſacratiſſimasque leges, ſine quibus iuſtitia coli, Reſpublicæ durare, humana ſocietas tueri nullo pacto poteſt perpurgare, quę ſuperflua abijcere, quæ uana ac futilia antiquare, quæ obſcura colluſtrare, quæ recta eligere, controuerſias breui finire, nec ad gratiam, aut odium iudicare, neque ſecum pugnanteis ſententias ferre, atque eos qui in iuſtitiam deliquerint iudices, ſuis ac meritis pœnis afficere. Quæ omnia te nobis, nos tibi addictos reddent ſubditos, firmabuntque ita omnia, ut non ſit periculum, quin breui florentiſſimum, firmiſſimumque habiturus ſis imperium, iuxta armis ac legibus pulchre ornatum, perpetuum tibi, ſanctum nobis, hoſtibus formidabile, gratum uicinis, memorabile poſteris. Quod ita regat & guber-

net is, qui id tibi sine clade ac sanguine concredidit benedictus in sæcula Deus. Amen.

¶ Francofordij interregno electoribus Ro. Impe
in Demortui Diui Maximiliani Imperatoris
locum, Carolum nepotem ex Philippo
filio Hispaniarum regem, Roma
num Augustũ designantibus,
finito, iubẽtib. nobilibus,
An. M. D. XIX.
pridie Calen
das Iu
lij.

76-37
90 ct. 75
Harper

¶ B. iij. uersu penultio ꝓ (q̃ q) lege, eum, si forte (q̃ q) habueris. D. i. uersu. xvi incredibile legito, E secundo uersu. xxi. sanguini dicito.